

Ljubinka BASOTOVA

**SANCTA SEDES APOSTOLICA ROMANA PRO CAUSA
SANCTORUM FRATRUM THESSALONICENSIIUM
CYRILLI ET METHODII***

In longissima fuga temporum, sunt viri, quorum memoria, ob eximia merita eorum de genere humano manet et in perpetuum manebit. In numero talium virorum sunt et nomina sanctorum fratrum Thessalonicensium Cyrilli et Methodii, qui pro gente Slavorum valde meruerint, nam inventis litteris Slavicis, non solum gentes Slavicis etiamtunc rudes illitteratasque illustraverunt sed etiam, liturgia Slavica eos in fide christiana confirmaverunt.

A Macedonia oriundi, a celeberrima urbe Thessalonica, sancti fratres totam vitam suam fidei christianae propagandae dederunt, nec viribus pepercerunt ut quam plurimas gentes ad veram fidem adiungerent et eos in doctrinam christianam inducerent.

Hoc sanctum officium sancti fratres Thessalonicenses non potuerunt cum tam uberi fructu efficere sine magno auxilio Sanctae sedis apostolicae Romanae. Nam, iam initio commorationis eorum inter Slavos, ubi rogatu Rastislavi principis ab imperatore Byzantino Michaeli missi erant, ut lingua Slavica gentem Slavorum fidem christianam docerent, in multa obstantia inciderunt. Licet a Rastislavo magno cum honore accepti essent, qui iis etiam discipulos erudiendos tradidit, licet toto ecclesiastico ordine translato edocuisset eos officia liturgica (matutinum, horas vesperas, completorium) et mysticam liturgiam, ut scriptum est in Vita Constantini Philosophi, tamen multi adversarii liturgiae Slavicae inventi sunt, praecipue clerici Franci et Latini, alique plures, qui negabant dignum esse laudem Deo tribuere lingua Slavica, quam illi barbaricam putabant. Opinione eorum Deus celebrandus est tantum quod tribus linguis: Hebraeica, Graeca et Latina, quasi Deus eas tres linguas elegisset ad celebrandum gloriam suam. Tamen sancti fratres in Moravia quadraginta menses peregerunt, instituentes Slavos in vera fide et sensum fidei explicantes.

Apostolicus Nicolaus I, audiens de talibus viris et de opere eorum, Romam arcessivit eos et sancti fratres cum nonnullis discipulis Romam profecti sunt. In itinere, in Pannonia, apud principem Kocel, qui admodum litteras Slavicis adamavit, aliquot temporis commorati sunt. Kocel magnum honorem iis tribuit et quadraginta discipulos iis tradidit ut litteras Slavicis edicerent.

* Беседа (Заштитата на Светата Римска Столица на Светите солунски браќа Кирил и Методиј) одржана во INSTITUTUM AUGUSTINEUM во Ватикан на 23.05.1994, по повод чествувањето на името и делото на Светите Кирил и Методиј.

Cum iter Romam facientes Venetiis essent, excitaverunt eos ad disputum episcopi et alii presbyteri, acerrime accusantes eos haeresis, quia lingua Slavica Deum celebrari docent. Sacerdotes Latini insistebant tres linguas principales in liturgia licitas esse et liturgiam Slavicam fere haeticam existimabant. Minor natu fratrum Constantinus, Philozophus dictus, iis respondit doctrinam eorum haeticam esse, inter plura citans et apostolum Lucam, qui dicit: "Vae vobis, scribae, quia tulistis clavem scientiae et ipsi non introistis et introire volentes prohibuistis" (Lc. 11,52). His et similibus verbis Constantinus Philosophus confodit eos et fratres sancti una cum discipulis Romam direxerunt. Apostolicus Hadrianus II, nam Nicolaus, qui eos Romam invitaverat hoc intervallo obiit, certior factus de adventu eorum, praecipue, quod audiverat eos reliquias sancti Clementis, martyris et papae Romani secum defferre, valde gavisus est et cum omnibus civibus omniq[ue] clero extra Urbem processit et iis obviam iit eosque honorifice recepit. Apostolicus libros Slavicos consecravit et deposuit eos in ecclesia Sanctae Mariae, dicta Phatne, ubi cum iis sanctam liturgiam cecinit. Deinde papa Hadrianus mandavit duobus episcopis, Formoso et Gauderico ut consecrarent discipulos Slavicos; consecratis iis Slavica lingua liturgiam in ecclesia sancti Petri cecinerunt. Diebus sequentibus Slovenice liturgia canta est in ecclesiis Romae: Sancti Andreae, Pauli apostoli, super sanctum eius sepulcrum, Tanta tum fuit gratia principis sedis apostolicae erga fratres Thessalonicenses et opera eorum.

Constantinus Philosophus, laboribus fessus et morbo confectus, cum sensisset imminentem sibi diem transitus sui, ex concessione apostolici Hadriani habitum monasticum induit et nomen Cyrilli sibi imposuit; post quinquaginta dies dormitionem accepit in Domino. Quamvis frater eius Methodius rogavit apostolicum ut sineret auferre obitum fratrem in suum monasterium et ibi eum sepelire, papa Hadrianus, memor magnitudinis operis Cyrilli censebat dignum esse talem virum Romae habere, immo in ecclesia sancti Petri. Rogatu fratris Methodii tamen annuit sepeliri eum in ecclesia sancti Clementis, cuius reliquias ipse Hersoneso Romam attulit. Sanctus apostolicus tum praecepit ut omnes clerici, quam Graeci, tam Latini ad exsequias Cyrilli occurrerent et funeri ipsius honorem velut apostolici tribuerent. Ita sanctus Cyrillus concurrente magna frequentia cleri et populi maxima cum reverentia conditus est in monumento in basilica sancti Clementis ad dextram partem altaris, cum hymnis et maximis laudibus.

Post obitum Cyrilli, Kocel princeps Pannoniae rogavit a sede apostolica ut Methodius ad se mitteretur, qui populum doceret et libros sanctos lingua Slavica interpretaret. Apostolicus Hadrianus Koceli respondit se "triplici gaudio" accipere rogatum eius et constituit in episcopatu Methodium "virum perfectum intelligentia et orthodoxum" (V. M. VIII,11). Misit eum apostolicus episcopum, "non solum Pannoniae, sed etiam omnibus partibus Slovenicis", ut dictum est in Vita Methodii, VIII,1.

Methodio episcopatu suo fungi in pace datum non erat. Nam adversarii et inimici liturgiae Slavicae statim surrexerunt contra eum, in numero quorum etiam rex Germanorum Ludovicus, vel filius eius Carolomanus erant;

autumno enim anno 870 convenerunt apud Ludovicum regem Ratisbonae Adalvinus, archiepiscopus Salisburgensis, Hermanricus, archiepiscopus Passaviensis, Annon, episcopus Frisingensis, qui decreverunt deicere Methodium a sede archiepiscopali et illum sequestrantes carceri mancipaverunt. Apostolicus Romanus Iohannes VIII multis missis et epistolis severe vituperabat eos omnes et mandavit iis ut ipsi Methodium, vi a sede sua eiectionem atque gaviter vexatum etiam in carcere retendum, sedi eius archiepiscopali restituerent. De causa Methodii idem apostolicus anno 873 Paulum episcopum Anconitanum, legatum in Germaniam misit cum instructione, ut Methodium liberaret. In ea instructione apostolicus Alvinum et Hermanricum acriter arguit, quod Methodium, a sede apostolica missum, sine canonica sententia demnaverunt, carceri mancipaverunt, colaphis afflixerunt, a sacro ministerio separaverunt et a sede tribus annis pepulerunt, etsi apostolica sedes plurimis missis et epistolis proclamabat. Apostolicus Iohannes VIII Hermanricum episcopum, qui particeps eiectionis Methodii erat, acerbissimis verbis obiurgavit, quod Methodium "carcernalibus poenis afficiebat et sub divo diutius acerrima hiemis et imbrium immanitate castigabat atque ab ecclesiae sibi commissae regimine subtraxit et adeo in insaniam veniens, ut in episcoporum concilium tractum (scil. Methodium), voluerit eam equino flagello percutere". Minatus est etiam apostolicus privare eum communione Christi misteriorum, nisi statim Romam occurrat ad rem iudicandam. Simili sententia apostolicus idem et Annoni, episcopo Frisingensi scripsit: "Audacia tua et praesumptio non solum nubes, sed et ipsos caelos transcendit. Usurpasti enim tibi vicem apostolicae sedis et quasi patriarcha de archiepiscopo tibi iudicium vindicasti; immo, quod est gravius, fratrem tuum Methodium, Panonicum archiepiscopum legatione apostolicae sedis ad gentes fungentem tyrannice magis, quam canonice tractans..." et plura similia; deinde concludens: "De quibus omnibus, nisi adeo fuerit eiusdem venerandi episcopi condicio sana effecta ut ipse possit omnem suam oblivioni propter Deum iniuriam tradere, Romam rationem redditurus indifferenter occure; alioquin, post mensem Septembrium, tandiu communicandi nullam habeas omnino licentiam, quamdiu non oboediendo tuam erga nos ostenderis pertinaciam" (MG. Ep. VII. nr. 23, p. 286). Alia epistola (MG. Ep. VII. nr. 20, p. 283) idem apostolicus Alvino archiepiscopo mandavit, ut eo agente Methodius reciperet sedem suam dicens: "Tu, qui fuisti eius auctor deiectionis, sis officii causa receptionis".

Papa Iohannes VIII de eadem causa et Karolomano, filio regis Ludovici, epistolam misit, qua ab eo petivit et liceret Methodio, qui a sede apostolica ordinatus est episcopus Pannoniensis, secundum priscam consuetudinem libere, quae sunt episcopi gerere.

Ita pertinaci interventu sedis apostolicae Romanae Methodius restitutus est in sede sua et fungebatur officio archiepiscopali, una cum discipulis suis usque ad obitum suum.

Post eius obitum, mutatis rebus in Moravia, Vichingo ordinato sedi archiepiscopali Pannoniensi, liturgia Slavica hebescere coepit, nam novus archiepiscopus acerrimus adversarius linguae Slavicae in liturgia erat. Discipuli

Methodii, in numero quorum maxime eminebant Gorazdus, Clemens, Naum et Angelarius Moravia expulsi sunt et in diversas partes dispersi.

Tamen, non est dubitandum, quin sedes apostolica Romana, praecipue pontificatu trium eius apostolicorum, Nicolai I, qui fratres Thessalonicenses Romam invitavit, Hadriani II, qui eos honorifice Romam recepit et magnifice honoravit et Iohannis VIII, qui Methodium, archiepiscopum Pannoniensem a sede apostolica ordinatum fortissime defendit ab adversariis eius, valde affuerit causae Cyrilli et Methodii, nam, sine magno et efficaci praesidio supradictorum pontificum Romanorum, opus sanctorum fratrum Thessalonicensium non potuit exsistere, vigere et durare usque ad hodiernum diem. Ob eam causam omnes gentes Slavorum magnam gratiam agunt et semper agent sedi apostolicae Romanae, nam ea adiuvante oculi omnium Slavorum aperti sunt ad cognoscendum Dominum et corda - prona ad accipiendam et confirmandam fidem christianam.